UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Domitii Plati Societatis Iesv Theologi, De Domini Nostri Iesv Christi Passione

Piatti, Domizio

Coloniae Agrippinae, 1610

In odoratu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49474

Visual Library

rum horrendas, quæ illi erant totidem ia-
cula mortifera, cor ipſius penetrantia.
3. *Tertiò*, quod audiret iniuſtas quærimo-
nias, & falſas accuſationes, quas contra
mendaces teſtes deponebant.
4. *Quartò*, quod perciperet irriſiones, in-
iurias & probra, quæ in ſe iaciebant, de
quo per Prophetam lamentatur cùm ait:
Pſalm. 58. *Factus ſum illis in parabolam.* Quod etiam au-
diret clamores, ac ſtrepitus populi vocife-
Ioan. 19. rantis. *Tolle, tollè, Non hunc ſed Barra-
bam.*
5. *Quintò*, afflictus fuit in ſenſu hoc vehe-
menter, quando intellexit, Petrum cum
iuramentis ſe negaſſe.
6. *Sextò*, cum perciperet lamenta commi-
ſeratione plena, ſanctiſſimæ matris ſuæ, &
aliarum matronarum.

DE CRVCIATIBVS, QVOS Chriſtus in odoratu tolerauit.

1. Tormenta odoratus. CONSIDERA, quantoperè Chri-
ſtus in hoc ſenſu afflictus fuerit. Pri-
mò, propter fœtorem putidiſſimo-
rum ſputorum, quibus facies eius vene-
randa & diuina deturpata fuit: quod tor-
mentum ſpontaneè pro te ſuſtinere vo-
luit, quemadmodum per Iſaiam teſtatur
dicens:

dicens. *Faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me.* *Iſa. 50.*

Secundò, propter graueolentiam loci illius, in quo cruci affixus fuit: qui erat fœtidiſſimus, tum quoniam ad illum omnes ſpurcitiæ vrbis deferebantur, tum propter fœtorem ex cadaueribus eorum, qui extremo ſupplicio illic afficiebantur exhalantem. 2.

Ad extremum, ex omnibus quæ ſupradicta ſunt colligere poſſumus, in hoc loco montis Caluariæ, vbi Chriſtus vitam finiuit, terminatas & perfectè adimpletas fuiſſe omnes figuras & prophetias, de illo ſcriptas: iuxta illud Iſaiæ. *Conſummationem &* *Iſa. 10.* *abbreuiationem Dominus DEVS exercituum faciet in medio omnis terræ.* id eſt, Dominus DEVS abbreuiabit & conſummabit omnia, quæ de Chriſto in veteri lege & prophetis, ſcripta, figurata, aut prædicta erant, idque in medio terræ, id eſt, in monte Caluariæ, vbi Chriſtus fuit in Crucem actus, quemadmodum Regius Propheta declarat, cùm ait: *Operatus* *Pſalm. 73.* *eſt ſalutem in medio terræ.*

CON-